



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Mathias Houius Arch. Melchinensis n. 17

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

12. A BRACHARENSI Archiepiscopo, Praefecto Ecclesiae no-
strae monente, Vt nostrorum in Catalogo, qui sacrum maiori
 in sacello facturi erant, nomen quoque suum adscriberet. Et
 cum ad operandum tardius aliquando accessisset, culpa reum se fas-
 sus, veniam supplex postulare non erubuit. Ita Ibid. fol. 99.

Archiep.
 Bracharen-
 sis in So-
 cietatem
 benignitas

13. A IOANNE BORGIA Noui Regni Granatensis Archiep.
 & B. Fran. Borgia nepote, vna cum Regio Senatu, à Rege Philippo
 enixè petente, Triginta illuc è Nostris mitteret, qui barbariem,
 inscitiam, Idolorumque cultum penitus insitum ex multa-
 rum Nationum animis stirpitus euellant, non aliter ac ip-
 sam Ciuitatem Regni totius Caput Nostrum, auspice Deo, ab
 improuissima in optimam conuerterunt. Sic in Annal. Soc.
 ann. 1606. fol. 230.

Expeditur
 ad Noui
 Regni re-
 formatio-
 nem.

14. A LEOPOLITANO Archiepiscopo Polono non semel pro-
 fitente, Se si quid in studio pietatis profecisset, Societatis in-
 stitutionibus profecisse. Ita in Annal. Soc. ann. 1596. fol. 57.

Sub eius In-
 stitutione
 in pietate
 profectus.

15. A IULIO CASARE RICHARDO Archiepiscopo Ba-
 riensi, Nuncioque Apostolico in Sabaudia, qui summum Pontificem
 de statu illorum tractuum certiore faciens, magnam se offerre oppor-
 tunitatem rei bene gerendae, dixit: Si aliquot è Societate viri docti
 eò proficiscantur, qui manantem in dies latius Caluinianam
 pestem reprimant, & labentem, aut iam pene collapsam rem
 Catholicam restituant. Probauit Pontifex Consilium, octoque
 in eam expeditionem postulauit. Ita Ibidem fol. 769.

Societas
 reprimat
 Caluinia-
 nam pe-
 stem.

Et laben-
 tem rem
 Catholicam
 restituit.

16. A GILBERT. GENEBRARDO Archiepiscopo Aquensi,
 viroque, ac Scriptore doctissimo lib. 4. Chronic. Vbi asserit, Excita-
 tam à Deo Societatem ad aedificandum, quo tempore Satha-
 nas ad diruendum, focios praecleara pro Religione gessisse,
 quotidieque gerere. Ita apud Paul. Leonard. Apolog. pro scient.
 Med. Par. 2. n. 84.

Excitata à
 Deo ad a-
 edificandum
 qua sata-
 nas diruit.

17. A MATHIA HOVIO Archiepiscopo Mechliniensi, Cum
 in Concilio Mechliniensi, cui intererant Prouinciales Episcopi, in-
 ter cetera decretum esset, vt Catechismus conscriberetur vnus per to-
 tam deinceps Prouinciam explicandus, Huius id negotij commisit

Testimonium
Huiusmodi
de studio
nostrorum
in catechi-
zando.

Societati. Illa vero optimi Antistitis desiderio per Ludouicum Makeblidium impigre, cumulateque satisfecit. Ita in Imag. 1. sac. Soc. lib. 3. cap. 3. f. 354. Et postea cap. 6. f. 771. affertur celebre eiusdem Huiusmodi testimonium de nostro Catechizandi studio, quod huiuscemodi verbis luculenter commendat. Docet tristes experientia per bellorum, & heresim tempestates præteritas, ruri præsertim, deperditam esse rerum diuinarum, & ad salutem necessariarum cognitionem, maxime in pueris, & iuuenibus hac tempestate natis. Quare pergratum nobis accidit studium Venerandorum Patrum Societatis IESV, quos intelleximus pro suo in animarum salutem zelo, ad pagos, qui tuto accedi possunt, passim excurrere: & rudem populum, ac præsertim iuuentutem, doctrinis ad integritatem fidei, & probitatem morum instituere. Quod ut pium est opus, & hoc tempore, hisque locis pernecessarium, optimis quibusque Pastoribus, & populi Præfectis acceptum esse non dubitamus. Ut autem maior hinc fructus surgat, & plures Deo per dictos Patres lucrifiant, obsecramus in Domino, & nihilominus districtè præcipiendo mandamus, omnibus Pastoribus quorumcumque locorum Diæcesis nostræ, ad quos forte dictos Patres venire contigerit, ut ipsos benigne suscipiant, & in suas Ecclesias gratanter admittant, populum, & præsertim iuuentutem ad eosdem audiendos conuocent; & tam ipsi, quam Domini temporales eosdem in hoc pio Officio adiuuent, quandocumque, & quibuscumque poterunt modis.

Laudatur
Societas in
Borgia
Generali.

18. * A IOANNE DE RIBERA Archiepiscopo Valentino ac Patriarcha Antiocheno, literis ad Nuncium Apostolicum, quibus ille commendat electionem B. Borgiæ in Generalem Societatis, cum ingenti vtriusque laude. Cum (inquit) de P. Francisci Borgiæ sanctitate mecum ipse cogitarem, non vulgarem fuisse mihi persuasi, cumque venerari, ac colere quamuis indignus optaui. Sic enim existimabam Deum non sine causa illum tam illustri Ordinis Præpositum Generalem constituisse, eo maxime tempore, quo Societas IESV postquam instituta recens fuisset

Eius pia, &
prudens
viuendi
ratio.